



Universitätsbibliothek Paderborn

**Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

XXVII. An, quando, quomodo; qui iam neq[ue] loqui, neq[ue] intelligere possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

148. *Institutionum Pastoralium*
Rituali Rom: Pauli V. communissimō
vſu plusquam satis constant. Difficilior
est casus, qui sequitur.

NVM: XXVII.

*De iis, qui neq; priūs in morbo vlla talis
signa expresserint, neq; iam exprimere
possunt, quod ratione careant.*

Casus non infrequens. Labitus
quis repente in apoplexiā
aut ex equo, aut ex improviso le-
thaliter vulneratur, neque petiū
confessionem, nec ullum doloris sen-
sum exhibere potest, voce destitutus
& vſu rationis. Quid cum isto ho-
mīne ages? in eo necessitatis casus
absoluti posse, & debere, præsertim
a Parocho, sub conditione, si escapat
eum, qui Catholicè vixerit eousque
& de quo non constet esse adhuc in af-
fectu ad peccatum mortale, docentes
professo non pauci, neque obscuri au-
thores apud Dianam tom. 3. de Sa-
cram. c. 8. & 9. inter ceteros citan-
tur

tur Ioan. à Literatis Romæ approba-
tus à Magistro Sacri Palatii, & Rituale
Archiepiscopatū Bononiensis : ean-
dem sententiam tenent multi alii, quos
fusè recitat Walterus Streuersdorff,
S. Theologiæ Doctor, in suâ Lampâ-
de ; passimque plurimi iam usurpant.
Petis , quid sentiam ? Istud publicè
non docerem , neq; tamen damnarem
alios. Tu, qui Parochus es , in illa ne-
cessitate tuis prouide , quantum , &
quamdiu licet. Non dubitarem licere,
si prudenter putas sensibilem aliquem
dolorem præcessisse in ordine ad con-
fessionem. Non expedit autem prio-
rum Authorum sententiam populo in
Concione euulgari : ne lentiores fiant
in vocando sacerdote , persuasi se et-
iam sic absolui posse , cùm linguae , &
rationis usu caruerint. Verùm expe-
dit eos scire , cùm in eos casus incide-
rint, vt subito Sacerdotem vocent, pos-
se tum eos iuuari Sacramentis , & iis
modis, quos Sacerdotes nōrunt, saltem

G 3 extre-

150 *Institutionum Pastoralium*
extremâ Vnctione , quæ talibus nega-
ri non debet : deprehenduntur enim
multi in eo errore , qui putent , Sacer-
dotes nihil amplius posse , cùm mor-
ens linguâ , & ratione destituitur : qui
error cùm periculosus sit , per te tolli
debet.

De pœnitentiâ morientibus impo-
nendâ , nihil est quod te moneam , res
ipsa loquitur : si rationis sunt adhuc
capaces , & morula patitur , impones
saltem aliquam , ne Sacramentum ma-
neat imperfectum : & quâm facile , si
ore non possint , corde saltem profe-
ret has voculas *I E S V S , M A R I A*
aut fiat voluntas tua , aut credo Deus meus
in te , spero in tuâ passione , amo te ex cor-
de meo super omnia ? neq; operosum erit
formare signum Crucis , exosculari
crucem , aut aliquid imponere in
futurum , si conualue-
rint .

NVM: